

ut intelligamus illa in nos a Dei immensa charitate proficiuntur: nam cum Spiritus sanctus a divina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, perspicere potest eos effectus, qui proprie ad Spiritum sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri.

Cur donum appellatur Spiritus sanctus.

X. Quare ex eo consequitur ut Spiritus sanctus donum appelletur; nam doni vocabulo significatur id quod benigne et gratuito, nulla spe remunerationis proposita, donatur. Ac proinde quaecumque bona et beneficia Deo in nos collata sunt (quid autem habemus, quod a Deo, ut inquit Apostolus (*a*) non acceperimus?) ea nobis Spiritus sancti concessu et munere data esse pio et grato animo agnoscere debemus. Ejus autem plures effectus sunt; nam ut mundi creationem, creaturarumque rerum propagationem et gubernationem omniam usus de quibus in primo articulo commemoravimus vivificationem Spiritui sancto proprie tribui paulo ante demonstratum est, et Ezechielis testimonio confirmatur (*b*): Dabo, inquit, vobis Spiritum, et vivetis.

Dona Spiritus sancti.

X. Praecipios tamen et maxime proprios Spiritus sancti effectus propheta enumerat (*c*), Spiritum sapientiae et intellectus; Spiritum consilii et fortitudinis; Spiritum scientiae et pietatis, et Spiritum timoris Domini; que dona Spiritus sancti vocantur; interdum autem *Spiritus sancti* nomen eis tribuitur. Quare sapienter (*d*) divus Augustinus monet animadvertendum esse, cum in sacris litteris hujus vocis *Spiritus sancti* mentio fit, ut

(*a*) 1 Cor. 4, 7. — (*b*) Ezech. 37, 6. — (*c*) Isa. 11, 5. — (*d*) D. Aug. lib. 15, de Trinit. cap. 18 et 19.

djudicare possumus, tertianae Trinitatis personam, an ejus effectus atque operationes significet; nam haec duo eodem intervallo distinguenda sunt, quo etiam Creatorem a rebus creatis differe credimus; atque haec eo diligentius explicanda sunt, quod ex hisce Spiritus sancti donis, christiana vita praecerta laurimus, sentireque possumus, an Spiritus sanctus in nobis sit.

Gratia justificans munus Spiritus sancti.

XI. Verum, pre ceteris eius amplissimis munieribus, gratia illa praedicanda est, qua nos justos facit, (*a*) signatque Spiritu promissionis sancto qui est pignus hereditatis nostrae. Hec enim mentem nostram arctissimo amoris vinculo Deo jungit (*b*); ex quo fit ut summo pietatis studio accensi, novam vitam instituamus ac (*c*) naturae divinæ participes effecti, (*d*) filii Dei nominemur, et vere simus.

ARTICULUS IX.

Cur hic articulus diligenter explicandus.

I. *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Quanta diligentia curare pastores debeant, ut hujus noni articuli veritatem fidelibus explicit, si duo potissimum considerantur, facile cognosci poterit. Primum enim, teste sancto Augustino (*e*), prophetae planius et apertius de Ecclesia quam de Christo locuti sunt, cum in eo multo plures errare ac decipi posse quam incarnationis sacramento previderent. Neque enim defuturi erant impii, qui ad similes imitationem que se hominem esse fingit, solos se catholicos esse profiterentur, et catholicam Ecclesiam apud se tantum, non minus

(*a*) Ephes. 1, 15, 14. — (*b*) Concil. Trid. sess. 6. — (*c*) 2 Petr. 1, 4. — (*d*) 1 Joan. 5, 1. — (*e*) S. Augus. in 1 s. 50, 15.

nefarie quam superbe affirmarent. Deinde, si quis hanc veritatem firmo animo conceptam haberit, facile horrendum heresis periculum effugiet.

Quis vere sit dicendus hereticus.

II. Non enim, ut quisque primum in fide peccavit, hereticus dicendus est; sed qui, Ecclesia auctoritate neglecta, impia opinione pertinaci animo tuerit, cum igitur fieri non possit ut aliquis se heresis peste commaculet, si iis fidem adhibeat, que in hoc articulo credenda proponuntur: cureat omni studio pastores ut fideles, cognito hoc mysterio, contra adversarii artes muniti in fidei veritate perseverent.

Nota. Pendet autem hic articulus a superiori; quia cum jam demonstratum sit Spiritum sanctum omnisi sanctitatis fontem et largitorem esse, nunc ab eodem Ecclesiam sanctitate donatam constemur.

Quid proprie nomine Ecclesiae intelligendum.

III. Acquoniam Ecclesiae vocem Latini, a Grecis mutuati, post divulgatum Evangelium ad res sacras transtulerunt, quam vim habeat hoc vocabulum aperiendum est. Significat autem Ecclesia evocationem; verum scriptores postea usurparunt pro concilio et concione. Neque vero refert utrum populus ille veri Deian false religionis cultor extiterit; in Actis enim de Ephesino populo scriptum est, cum scriba turbas sedasset, dixisse: (a) Si quid autem alterius rei quereritis, in legitima Ecclesia poterit absolvvi. Legitimam vocat Ecclesia populum Ephesinum, Dianae cultui addictum. Neque solum gentes quae Deum non noverunt, sed etiam malorum et impiorum hominum concilia interdum Ecclesia nominantur: (b)

(a) Act. 19, 59. — (b) Ps. 23, 5.

Odivi, inquit propheta, Ecclesiam malignantium et cum impiis non sedebo. Communi vero deinde sacrarum Scripturarum consuetudine, haec vox ad rem publicam christianam, fideliumque tantum congregationes significandas usurpata est; qui scilicet ad lucem veritatis et Dei notitiam per fidem vocati sunt, ut rejectis ignorantiae et errorum tenebris, Deum verum et vivum pie et sancte colant, illique ex toto corde inserviant: atque ut unico verbo haec res tota absolutur, Ecclesia, ut ait sanctus (a) Augustinus, et populus fidelis per universum orbem dispersus.

Quae mysteria in vocabulo Ecclesiae continentur.

IV. Nec vero levia mysteria in hoc vocabulo continentur: etenim in evocatione, quam *Ecclesia* significat, statim divinae gratiae benignitas et splendor elucet, intelligimusque Ecclesiam ab aliis rebus publicis maxime differere; illa enim humana ratione et prudentia nituntur, haec autem Dei sapientia et consilio constituta est, vocavit enim nos intimo quidem Spiritus sancti afflatus qui corda hominum aperit, extrinsecus autem pastorum et predicatorum opera ac ministerio.

Ecclesia quid a synagoga differat.

V. Praeterea ex hac vocatione quis nobis finis propositus esse debeat, nimirum aeternarum rerum cognitio et possessio, is optime perspiciet, qui animadverterit, cur olim fidelis populus sub lege positus, synagoga, id est congregatio dicereatur: nam, ut docet sanctus (b) Augustinus, hoc ei nomen impositum est, quia, pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena et caeca tantum bona spectaret. Quare merito chri-

(a) S. Aug. in Ps. 149. — (b) Aug. in Ps. 77 et 81.

stianus populus, non *synagoga*, sed *Ecclesia* dicitur, quia, terrenis et mortalibus rebus contemptis celestes et aeternas tantummodo consecutatur.

Alia nomina Ecclesie.

VI. Multa praeterea nomina, quae plena sunt mysterii, ad christianam rem publicam significandam traducta sunt; nam et *domus* et *ad fidem Dei* ab Apostolo vocatur (a): Si tardavero, inquit ad Timotheum, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.

Primum. — *Domus* autem Ecclesia idcirco appellatur, quia sit veluti una familia quam unus paterfamilias moderatur, et in qua est honorum omnium spiritualium communio.

Secundum. — Dicitur etiam (b) *grex ovium Christi*, quarum ille ostium est et pastor.

Tertium. — Vocabus *sponsa Christi*: (c) Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, inquit Apostolus ad Corinthios. Idem ad Ephesios (d): *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Ac de matrimonio: *Sacramentum hoc, inquit, magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

Quartum. — Dicitur denique Ecclesia *corpus Christi*, ut ad (e) Ephesios et (f) Colosenses licet videre. Et hec singula plurimum valent ad fideles excitando, ut se dignos immensa Dei clementia et honestate prebeat, qui eos, ut populus Dei essent, elegit.

Ecclesia militans et triumphans.

VII. His vero explicatis, necesse erit singulas

(a) 1 Tim. 5, 15. — (b) Ezech. 34, 5. Joan. 10, 7. — (c) 2 Cor. 11, 2. — (d) Eph. 5, 23. — (e) Ephes. 4, 23. — (f) Col. 1, 24.

Ecclesie partes enumerare earumque differentias docere, quo magis Deo dilectæ Ecclesie naturam, proprietates, dona et gratias populus percipiat, et ob eam causam sanctissimum Dei nomen laudare nunquam intermitat. Ecclesie autem duas potissimum sunt partes, quarum altera *triumphans*, altera *militans* vocatur (a).

Quæ triumphans.

VIII. *Triumphans* est cætus ille clarissimus et felicissimus beatorum spirituum, et eorum qui de mundo, de carne, de iniquissimo dæmonie triumpharunt, et ab hujus vite molestiis liberi ac tui aeterna beatitudine fruuntur.

Quæ militans.

IX. *Militans* vero Ecclesia est cætus omnium fidelium qui adhuc in terris vivunt: quæ ideo *militans* vocatur, quod illi cum immanissimis hostibus, mundo, carne, Satana, perpetuum sit bellum. (b) Neque idcirco tamen duas esse Ecclesiæ censendum est; sed ejusdem Ecclesiæ, ut antea diximus, partes duæ sunt, quarum una antecessit, et coelesti patria jam potitur: altera in dies sequitur, donec aliquando cum Salvatore nostro conjuncta in sempiterna felicitate conquiescat.

In Ecclesia militante sunt et boni et mali.

X. Jam in Ecclesia militante duo sunt hominum genera, honorum et improborum: et improbi quidem eorumdem Sacramentorum participes, eamdem quoque quam boni fidem profitentur, vita ac moribus dissimiles; boni vero in Ecclesia dicuntur ii qui non solum fidei professione et

(a) Aug. Ench. 2, 16. — (b) Aug. lib. 12 de Civ. Dei c. 9.

communione Sacramentorum, sed etiam spiritu gratiae et charitatis vinculo inter se conjuncti et colligati sunt; de quibus dicitur (*a*): Cognovit Dominus, qui sunt ejus; possunt vero etiam homines aliquibus conjecturis opinari, quinam sint, qui ad hunc piorum hominum numerum pertineant (*b*): certo autem scire minime possunt.

Nota hoc. Quare existimandum non est Christum Salvatorem de hac Ecclesia parte locutum esse, (*c*) cum ad Ecclesiam nos remisit, eique ut pareamus praecepit: nam cum illa sit incognita cui certum esse poterit, ad cuius iudicium confundendum et cuiusautoritatem obtemperandum sit? Bonos igitur et improbos Ecclesia complectitur, quemadmodum et divina Littera et sanctorum virorum scripta testantur, in quam sententiam scriptum est illud Apostoli (*d*): Unum corpus et unus spiritus.

Ecclesia quibus figuris et similitudinibus designata.

XI. Hæc autem Ecclesia nota est (*e*), urbique supra montem sita comparata, qua undique conspicitur. Nam cum illi ab omnibus parentum sit, cognoscatur necesse est. Neque bonos tantum, sed malos etiam complectitur, ut multis parabolis Evangelium docet, veluti cum regnum celorum, id est militante Ecclesiam, (*f*) simile esse sa- genæ in mare missæ commemorat, vel (*g*) agro in quo zizania superseminata sunt; vel (*h*) aræ in qua frumentum cum paleis continetur; vel (*i*) decem virginibus partim fatuis, partim pruden-

(*a*) 2 Tim. 2, 19. — (*b*) Conc. Trid., sess. 6, c. 12. — (*c*) Math. 18, 17. — (*d*) Eph. 4, 4. — (*e*) Matth. 5, 25. — (*f*) Matth. 15, 47. — (*g*) Matth. 15, 25. — (*h*) Luc. 3, 17. — (*i*) Matth. 25, 1, 2.

tibus, sed multo ante etiam in arca Noe, in qua (*a*) non solum munda, sed etiam immunda animantia concludebantur, hujus Ecclesie figuram et similitudinem licet intueri. Quamvis autem bonus et malos ad Ecclesiam pertinentia catholica fides vere et constanter affirmet, ex eisdem tamen fidei regulis fidelibus explicandum est, utriusque partis diversam admodum rationem esse: ut enim paleæ cum frumento in area confusæ sunt, vel interdum membra varie inter mortua corpori conjuncta, ita etiam mali in Ecclesia continetur.

Quinam ab Ecclesia excluduntur.

XII. Ex quo fit ut tria tantummodo hominum genera ab ea excludantur, primo infideles, deinde heretici et schismati, postremo excommunicati: ethnici quidem, quod in Ecclesia nunquam fuerunt, neque eam unquam cognoverunt, nec illius Sacramenti participes in populi christiani societate facti sunt; heretici vero atque schismati, quia ab Ecclesia desciverunt, neque enim illi magis ab Ecclesia spectant, quam transfuge ad exercitum pertineant, a quo defecerunt. Non negandum tamen quin in Ecclesiæ potestate sint, ut qui ab ea in judicium vocentur, puniantur, et anathemate damnentur. Postremo etiam excommunicati quod Ecclesia iudicio ab ea exclusi, ad illius communionem non pertineant, donec resipiscant. De ceteris autem quamvis improbis et sceleratis hominibus, adhuc eos in Ecclesia perseverare dubitandum non est, idque fidelibus tradendum assidue, ut si forte Ecclesia antistituita flagitiosa sit, eos tamen in Ecclesia esse, nec propterea quidquam de eorum potestate detrahi certo sibi persuadeant.

(*a*) Gen. 7, 2. 1 Petr. 3, 20.

Private familiæ, pastores et loca sacra etiam Ecclesia dicuntur.

XIII. Verum universæ etiam Ecclesiæ partes (*a*) *Ecclesiæ* nomine significari solent, ut cum Apostolus Ecclesiam que est Corinthi, Galatiae, Laodicisium, Thessalonicensium nomina: privatas etiam fidelium familias *Ecclesiæ* vocat; nam (*b*) Priscillæ et Aquilæ domesticam Ecclesiam salutari jubet; item alio in loco: Salutant vos, inquit, in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua Ecclesia. Ad Philemonem (*c*) etiam scribens eamdem vocem usurpat. Interdum quoque *Ecclesiæ* nomine ejus præsides ac pastores significantur (*d*): Si te non audierit, inquit Christus, dic Ecclesiæ; quo in loco præpositi Ecclesiæ designantur; sed (*e*) locus etiam in quem populus sive ad concionem, sive aliquique rei sacræ causa convenit, *Ecclesia* appellatur. Præcipue vero in hoc articulo Ecclesia bonorum simul et malorum multititudinem, nec præsides solum, sed eos etiam qui parere debent, significat.

Ecclesiæ proprietates.

XIV. Aperiendæ autem sunt fidelibus hujus Ecclesiæ proprietates, ex quibus licebit agnoscere quanto beneficio a Deo affecti sint quibus contingit in ea nasci atque educari.

Prima ut una sit.

Prima igitur proprietas in Symbolo Patrum describitur, ut una sit: (*f*) Una enim, inquit, est columba mea, una est speciosa mea. Vocatur autem una tanta hominum multitudo, que tam

(*a*) 2 Cor. 1, 1. Gal. 1, 2. Coloss. 4, 16. 1 Thessall. 1, 1.
— (*b*) Rom. 11, 3. 5. 1 Cor. 16, 19. — (*c*) Phil. 2, 1.
— (*d*) Matth. 18, 17. — (*e*) 1 Cor. 11, 18. — (*f*) Cant. 6, 8.

longe lateque diffusa est ob eas causas, quæ ab Apostolo ad Ephesios scriptæ sunt (*a*): Unum enim Dominum, unam fidem, unum baptismum tantum esse predicat; unus est enim ejus rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem æternus Pater (*b*) dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.

Ad unitatem Ecclesiæ caput visible requiritur.

XV. Visibilis autem est qui Romanam Cathedram Petri Apostolorum principis legitimus successor tenet; de quo fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesie constituendam et conservandam necessarium fuisse.

Quod præclare et vidit, et scripsit sanctus Hieronymus, contra Jovinianum iis verbis (*c*): Unus eligitur ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio; et ad Damasum: Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio; cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, beatitudini tuae, id est cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio.

Quod et longe antea ab (*d*) Irenæo probatur, et (*e*) Cypriano, qui de unitate Ecclesie loquens, ait: Loquitur Dominus ad Petrum (*f*): Ego, Petre, dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc

(*a*) Eph. 4, 5. — (*b*) Eph. 4, 2, 23. — (*c*) S. Hieronymus, lib. 1 cont. Jovinianum in med. et Epist. 57. — (*d*) Iren., lib. 3 contra hæres., cap. 5. — (*e*) B. Cyprian. de Simpl. prael. in principio fere. — (*f*) Matth. 16, 18.

petram aedificabo Ecclesiam meam. Super unum aedificat Ecclesiam; et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, et dicat (*a*) : Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum. Tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem auctoritate sua dispositus, etc.

Optatus deinde Milevitanus ait (*b*) : Ignorantiae tibi adscribi non potest, scienti in urbe Roma, Petro primo cathedralm episcopalem esse collatum in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; in quo uno cathedralē unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent ut jam schismaticus et prevaricator esset, qui contra singularem cathedralē alteram collocaret.

Post vero Basilius sic scriptum reliquit (*c*) : Petrus collocatus est in fundamento; dixit enim : Tu es Christus Filius Dei vivi, et vicissim audit se esse petram; licet enim petra esset, non tamen petra erat ut Christus; nam Christus vere immobilia petra; Petrus vero propter petram. Dignitates enim suas Deus largitur aliis : sacerdos est, et facit sacerdotes; petra est, et petram facit, et quae sua sunt largitur servis suis.

Postremo vero sanctus Ambrosius ait : Si quis objeciat Ecclesiam, uno capite, et sposo Iesu Christo contentam, preterea nullum requirere, in promptu responsio est. Ut enim Christum Dominum singularorum Sacramentorum non solum auctorem, sed intimum etiam praebitorem habemus (nam ipse est qui baptizat, et qui absolvit, et tamen is homines Sacramentorum externos

(*a*) Joan. 20, 21. — (*b*) Optatus initio l. 2, ad Parmen. — (*c*) Basil., hom. 29, quae est de Paenit.

ministros instruit); sic Ecclesiæ, quam ipse in timo spiritu regit, hominum sue potestatis vicarium et ministrum præfecit, nam cum visibilis Ecclesia, visibili capite egeat, ita Salvator noster Petrus universi fidelium generis caput et pastorem constituit, cum illi (*a*) oves suas pascendas verbis amplissimis commendavit, ut qui ei successisset, eandem plane totius Ecclesiæ regendæ et gubernandæ potestatem habere voluerit.

Unitatem fidelium conservandi ratio.

XVI. Unus præterea idemque est spiritus, inquit Apostolus ad Corinthios (*b*), qui fidelibus gratiam, perinde atque anima corporeis membris vitam impertitur. Ad quam unitatem servandam cum Ephesios hortaretur, inquit (*c*) : Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus et unus spiritus. Quemadmodum enim humanum corpus multis constat membris, eaque ab una anima aluntur, quæ oculi visum, auribus auditum, et alis sensibus diversas vires subministrat, ita corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ex multis fidelibus compositum est (*d*). Una quoque est spes, ut in eodem loco idem Apostolus testatur, ad quam vocati sumus; siquidem omnes eamdem rem, nempe eternam et beatam vitam, speramus. Una est denique fides, quæ omnibus tenenda est ac præ se ferenda (*e*) : Non sint, inquit Apostolus, in vobis schismata : atque (*f*) unum baptismum, quod quidem est christiana fidei sacramentum.

Secunda ut sit sancta.

Altera proprietas Ecclesiæ est, ut sit sancta :

(*a*) Joan. 21, 15. — (*b*) 1 Corinth. 12, 11, 12. — (*c*) Eph. 4, 5, 4. — (*d*) Ephes. 4, 4. — (*e*) 1 Corinth. 1, 10. — (*f*) Ephes. 4, 5.

petram ædificabo Ecclesiam meam. Super unum ædificat Ecclesiam; et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, et dicat (*a*) : Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum. Tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem auctoritate sua dispositum, etc.

Optatus deinde Milevitanus ait (*b*) : Ignorantiae tibi adscribi non potest, scienti in urbe Roma, Petro primo cathedralm episcopalem esse collatam in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; in quo uno cathedralia unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent ut jam schismaticus et prævaricator esset, qui contra singularem cathedralm alteram collocaret.

Post vero Basilius sic scriptum reliquit (*c*) : Petrus collocatus est in fundamento: dixit enim: Tu es Christus Filius Dei vivi, et vicissim audit se esse petram; licet enim petra esset, non tamen petra erat ut Christus; nam Christus vere immobilia petra; Petrus vero propter petram. Dignitates enim suas Deus largitur aliis: sacerdos est, et facit sacerdotes; petra est, et petram facit, et quæ sua sunt largitur servi suis.

Postremo vero sanctus Ambrosius ait: Si quis objiciat Ecclesiam, uno capite, et sponso Iesu Christo contentam, præterea nullum requirere, in promptu responsio est. Ut enim Christum Dominum singulorum Sacramentorum non solum auctorem, sed intimum etiam præbitorem habemus (nam ipse est qui baptizat, et qui absolvit, et tamen is homines Sacramentorum externos

(*a*) Joan. 20, 21. — (*b*) Optatus initio l. 2, ad Parmen.

— (*c*) Basil., hom. 29, quæ est de Paenit.

ministros instruit); sic Ecclesia, quam ipse in timo spiritu regit, hominem sue potestatis vicarium et ministrum prefecit, nam cum visibilis Ecclesia, visibili capite egeat, ita Salvator noster Petrus universi fidelium generis caput et pastorem constituit, cum illi (*a*) oves suas pascendas verbis amplissimis commendavit, ut qui ei successisset, eamdem plane totius Ecclesie regendæ et gubernandæ potestatem habere voluerit.

Unitatem fidelium conservandi ratio.

XVI. Unus præterea idemque est spiritus, inquit Apostolus ad Corinthios (*b*), qui fidelibus gratiam, perinde atque anima corporeis membris vitam impertitur. Ad quam unitatem servandam cum Ephesios hortaretur, inquit (*c*): Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unus corpus et unus spiritus. Quemadmodum enim humanum corpus multis constat membris, eaque ab una anima aluntur, quæ oculis visum, auribus audiunt, et aliis sensibus diversas vires subministrat, ita corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ex multis fidelibus compositum est (*d*). Una quoque est spes, ut in eodem loco idem Apostolus testatur, ad quam vocati sumus; siquidem omnes eamdem rem, nempe eternam et beatam vitam, speramus. Una est denique fides, quæ omnibus tenenda est ac præ se ferenda (*e*): Non sint, inquit Apostolus, in vobis schismata: atque (*f*) unum baptismum, quod quidem est christiana fidei sacramentum.

Secunda ut sit sancta.

Altera proprietas Ecclesie est, ut sit sancta:

(*a*) Joan. 21, 15. — (*b*) 1 Corinth. 12, 4, 11, 12. — (*c*) Eph. 4, 5, 6. — (*d*) Ephes. 4, 4. — (*e*) 1 Corinth. 4, 10. — (*f*) Ephes. 4, 5.

cuod a principe Apostolorum accepimus eo loco
(a) : Vos autem genus electum, gens sancta.

Ecclesia sancta est.

XVII. Primo. — Appellatur autem sancta, quod (b) Deo consecrata dedicataque sit; sic enim cetera hujuscemodi, quanquam corpora sint, sancta vocari consueverunt, cum divino cultui addicta et dedicata sunt. Cujus generis sunt in lege veteri vasa, vestes et altaria; in qua (c) primogeniti quoque, qui Deo altissimo dedicabantur, sancti sunt appellati.

Nota. Nec mirum cuiquam videri debet Ecclesiam dici sanctam, tametsi multos peccatores contineat, sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti sunt, quive se fide et baptismate suscepit, Christo consecrarunt: quanquam in multis offendunt, et que polliciti sunt, non praestant, quemadmodum etiam qui artem aliquam proficiunt, etsi artis precepta non servent, non men tamen articulicu retinent. Quare divus Paulus Corinthios (d) sanctificatos et sanctos appellat: in quibus nonnullos fuisse perspicuum est quos (e) ut carnales et gravioribus etiam nominibus acriter obiugrat.

Secundo. — Sancta etiam dicenda est, quod veluti corpus cum sancto (f) capite Christo Domino, totius sanctitatis fonte conjungitur, a quo Spiritus sancti charismata et divina bonitatis dignitas diffunduntur. Praecipue sanctus Augustinus interpretans verba illa prophetæ: Custodi animam meam, quoniā sanctus sum (g): Audeat, inquit, et corpus Christi, audeat, et unus ille homo, clা-

(a) 1 Pet. 2, 9. — (b) Levit. 27, 28, 50. — (c) Exod. 15, 12. — (d) 1 Cor. 1, 2. — (e) 1 Cor. 5, 5. — (f) Eph. 4, 15, 16. — (g) S. Aug. in Psal. 85, 2.

mans a finibus terre cum capite suo, et sub capite suo dicere: Sanctus sum: accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi, et remissionis peccatorum. Ac paulo post: Si christiani omnes, et fideles, in Christo baptizati, ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit (a): Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; si membra sunt facta corporis ejus, et dicunt se sanctos non esse, capit ipsi faciunt injuriam (b), cujus membra sancta sunt.

Tertio. — Accedit etiam, quod sola Ecclesia legitimum sacrificii cultum, et salutarem habet sacramentorum usum: per quae tanquam efficacia divinae gratiae instrumenta Deus veram sanctitatem effici: Ita ut, quicumque vere sancti sunt, extra hanc Ecclesiam esse non possint. Patet igitur (c) Ecclesiam esse sanctam, ac sanctam quidem, quoniā corpus est Christi, a quo sanctificatur, cujusque (d) sanguine abluitur. *De sanctitate Ecclesie* vide Justin. mart. in utraque Apol. Tert. in Apolog. Aug. cont. Faust. c. 17. Gregor. Moral. l. 57, c. 7.

Tertia ut sit catholica.

Tertia proprietas Ecclesie ea est, ut catholica, nempe universalis, vocetur, quae appellatio vere illi tributa est: quoniā, ut testatur sanctus Augustinus (e): A solis ortu usque ad occasum unius fidei splendor diffunditur. Neque enim, ut in humanis rebus publicis, aut hæreticorum conventibus, unius tantum regni terminis, aut uno hominum genere Ecclesia definita est, verum omnes homines, sive illi barbari sint, sive Scythæ, sive servi, sive liberi, sive masculi, sive feminæ, cha-

(a) Gal. 3, 27. — (b) Eph. 5, 26, 27, 30. — (c) Eph. 4, 1, 4. — (d) Eph. 1, 7. — (e) S. August. serm. 151 et 151. de Temp.

ritatis sinu complectitur. Quare scriptum est (*a*) : Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum. De Ecclesiæ dicit David (*b*) : Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Item (*c*) : Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me; et : Homo natus est in ea. Præterea omnes fideles, qui ab Adam in hunc usque diem fuerunt, quive futuri sunt, quandiu mundus existabit, veram fidem profitentes, ac eamdem Ecclesiæ pertinent (*d*), que super fundamento Apostolorum fundata est ac prophetarum, qui omnes in illo lapide angulari Christo, qui fecit utraque unum, et pacem iis, qui prope, et iis, qui longe annuntiavit, constituti sunt et fundati. Universalis etiam ob eam causam dicitur, quod omnes qui salutem æternam consequi cupiunt, eam tenere, et amplecti debeant, non secus ac qui arcam, (*e*) ne diluvio perirent, ingressi sunt. Hæc igitur, veluti certissima regula tradenda est, qua vera et falsa Ecclesiæ judicetur.

Ecclesiæ veræ a falsa dignoscendæ regula altera.

XVIII. Sed ex origine etiam, quam revelata gratia ab Apostolis ducit, Ecclesiæ veritatem agnoscamus; siquidem ejus doctrina veritas est, non recens, neque nunc primum orta, sed ab Apostolis jam olim tradita, et in omnem orbem terrarum disseminata, ex quo fit ut nemo dubitare possit, impias hereticorum voces longe a veræ Ecclesiæ fide abesse, cum doctrinæ Ecclesiæ, que ab Apostolis ad hanc diem predicata est,

(*a*) Apoc. 5, 9, 10. — (*b*) Ps. 2, 8. — (*c*) Ps. 86, 4. — (*d*) Eph. 2, 20. — (*e*) Gen. 7, 7.

adversentur : Quare, ut omnes intelligerent quænam esset Ecclesia catholica, Patres, in Symbolo illud divinitus addiderunt *Apostolicam. De veræ Ecclesiæ notis*, vide Aug. contra Epist. fundamenti cap. 4. Tertull. lib. ioto de Præscript.

Cur dicatur Ecclesia apostolica.

XIX. Etenim Spiritus sanctus, qui Ecclesiæ præsedit, eam non per aliud genus ministrorum, quam per apostolicum gubernat. Qui Spiritus primum quidem Apostolis tributus est, deinde vero summa Dei benignitate semper in Ecclesia mansit (*a*). Sed quemadmodum hec una Ecclesiæ errare non potest in fidei ac morum disciplina tradenda, cum a Spiritu sancto gubernetur, ita cæteras omnes, quæ sibi Ecclesiæ nomen arrogant, ut que diaboli spiritu ducantur, in doctrinæ et morum perniciosissimis erroribus versari necesse est.

Ecclesiæ duæ figuræ.

XX. Sed quoniam magnam vim habent figuræ Veteris Testamenti ad excitandos fidelium animos, revocandam rerum pulcherrimarum memoriam, cuius rei potissimum causa Apostoli his usi sunt; illam quoque doctrinæ partem, quæ magnas utilitates habet, parochi non prætermittent.

Prior. — In his autem illustrem significatiōnem habet arca Noe (*b*) : quæ ob eam rem tantum divino jussu constructa est, ut nullus dubitandi locus relinquatur, quin Ecclesiæ ipsam significet : Quam Deus sic constituit, ut, quicunque per baptismum illam ingredierentur, ab omni mortis æternæ periculo tui esse possent, qui

(*a*) Aug. contra Crescent., lib. 1, cap. 53. — (*b*) Gen. 8, 14.

vero extra illam essent, quemadmodum iis evenit, qui in arcem recepti non sunt, suis sceleribus obruerentur.

Altera. — Alia figura est magna illa civitas (*a*) Jerusalem, cuius nomine Scripturæ sæpius sanctam Ecclesiam significant. Nimurum in illa sola offere Deo sacrificia licebat, quia in sola etiam Dei Ecclesia, neque extra eam usquam, verus cultus verumque sacrificium reperitur, quod Deo placere ullo modo possit.

Ecclesiam esse fide credendam et quomodo.

XXI. Jam illud etiam extremo loco de Ecclesia docendum erit, quanam ratione nos credere Ecclesiam, ad articulos fiduci pertineat, nam etsi quivis ratione et sensibus percipit Ecclesiam, id est, hominum conventum in terris esse, qui Christo Domino addicti et consecrati sunt. Neque ad eam rem animo concipiendam fide opus esse videatur, cum nec Judæi, nec Turcae quidem de eo dubitent: tamen illa mysteria, quæ in sancta Dei Ecclesia contineri partim declaratum est, partim in sacramento ordinis explicabitur, mens fide tantummodo illustrata, non illius rationibus convicta, intelligere potest. Cum igitur hic articulus, non minus quam ceteri, intelligentiae nostræ facultatem et vires supereret, jure optimo confitemur, nos Ecclesie ortum, munera, et dignitatem non humana ratione cognoscere, sed fidei oculis intueri.

Ecclesiaz quis auctor.

XXII. Neque enim homines hujus Ecclesiaz autores fuerunt, sed Deus ipse immortalis, qui eam super firmissimam petram ædificavit teste

(*a*) Gal. 4, 26. Heb. 12, 12. Deut. 12, 11, 12, 13, 14, 18, 21.

propheta (*a*): Ipse fundavit eam Altissimus: quam ob causam (*b*) hereditas Dei, et (*c*) Dei populus appellatur. Nec potestas, quam accepit, humana est, sed divino munere tributa. Quare quemadmodum naturæ viribus comparari non potest, ita etiam fide solum intelligimus, in Ecclesia (*d*) claves regni cœlorum esse, eique (*e*) potestatem peccata remittendi, (*f*) excommunicandi, (*g*) verumque Christi corpus consecrandi traditam: deinde cives, qui in ea morantur (*h*) non habere hic civitatem permanentem, sed futuram inquirere.

Ecclesiam credere oportet et non in Ecclesiam.

XXIII. Unam igitur Ecclesiam sanctam et catholicam esse necessario credendum est (*i*): Tres enim Trinitatis personas, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ita credimus, ut in eas fidem nostram collocemus. Nunc autem mutata dicendi forma sanctam, et non in sanctam Ecclesiam, credere profitemur; ut hac etiam diversa loquendi ratione, Deus omnium effector a creatis rebus distinguitur, præclaraque illa omnia, quæ in Ecclesiam collata sunt, beneficia, divinae bonitati accepta referamus.

Hæc articuli pars diligenter explicanda.

XXIV. Sanctorum communionem. Cum sanctus Joannes Evangelista de divinis mysteriis, ad fideles scriberet, cur eos in illis erudiret, hanc rationem attulit (*j*): Ut ei vos, inquit, societatem habbatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Iesu Christo. Hæc societas in communione Sanctorum sita est: de qua in hoc

(*a*) Ps. 86, 5. — (*b*) Ps. 2, 8. — (*c*) Osee, 2, 4. — (*d*) Matth. 16, 19. — (*e*) Joan. 20, 23. — (*f*) Matth. 18, 17. — (*g*) Heb. 13, 10 et d. — (*h*) Heb. 13, 13. — (*i*) Aug. serm. 151 de Temp. — (*j*) Joan. 1, 3.

articulo sermo habetur (a). Utinam vero in explicando Ecclesiarum praesides, Pauli et aliorum Apostolorum diligentiam imitarentur. Est enim non solum quedam superioris articuli interpretatio, doctrinaque uberrimorum fructuum, sed etiam, quis usus mysteriorum esse deheat, quæ Symbolo continentur, declarat; omnia enim ejus rei causa pervestiganda sunt ac percipienda, ut in hanc tam amplam et beatam societatem Sanctorum admittamus, admissisque constantissime perseveremus, cum gaudio gratias agentes Deo Patri (b), qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.

In quibus Sanctorum sita sit communio.

XXV. In primis igitur fideles docendi sunt hunc articulum esse illius, qui de una sancta Ecclesia catholica antea positus est, veluti explicationem quamdam: unitas enim spiritus, a quo illa regitur, efficit ut quidquid in eam collatum est, commune sit (c): omnium enim Sacramentorum fructus ad universos fideles pertinet: quibus Sacramentis, veluti sacris vinculis Christo connectuntur et copulantur: et maxime omnium baptismo, quo, tanquam janua, in Ecclesias ingredimur. Hac autem Sanctorum communione, Sacramentorum communionem intelligi debere Patres in Symbolo significant illis verbis (d): Confiteor unum baptisma. Baptismum vero in primis Eucharistia, et deinceps cætera Sacraenta consequuntur: nam etsi hoc nomen omnibus Sacramentis convenient, cum Deo nos conjungant illiusque participes cujus gratiam recipimus, efficiant; ma-

(a) Aug. in Joan. Tract. 52. — (b) Col. 1, 12. —
(c) Aug., l. 19 cont. Faustum, c. 21. — (d) Damasc., lib.
de Fide orthodoxa, cap. 12.

gis tamen proprium est Eucharistiae, (a) quæ hanc efficit communionem.

Sed alia etiam communio in Ecclesia cogitanda est. Quaecumque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et, ut illis pro sint, charitate, (b) quæ non querit quæ sua sunt, efficitur. Id vero cum sancti Ambrosii testimonio comprobatur, qui locum illum psalmi explanans: Particeps ego sum omnium timentium te ita inquit: (c) Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic conjunctum omnibus timentibus Deum. Quare Christus eam nobis orandi formam præscripsit ut diceremus: (d) Panem nostrum, non meum: ac reliqua ejus generis, non nobis tantum, sed omnium saluti et commo dis proposcientes.

Similitudo singularis.

XXVI. At vero hæc bonorum communicatio, membrorum humani corporis aptissima similitudine in sacris Litteris sepe demonstratur, nam in corpore multa sunt membra; (e) sed etsi multa sunt, unum tamen corpus constituant, in quo singula proprio, non autem omnia eodem munere funguntur. Nec vero omnia eamdem dignitatem habent, aut æque utilles et decoras functiones exsequuntur: nullique suum, sed totius corporis commodum atque utilitas proposita est. Omnia deinde tam apta inter se et confixa sunt, ut si unum aliquo dolore afficitur, cetera item naturæ cognatione et consensu doleant: si contra bene affectum est, communis sit omnibus ille jucunditatis sensus. Atque hæc eadem in Ecclesia

(a) 4 Cor. 10, 16 et d. — (b) 1 Cor. 15, 5. — (c) S. Ambr. in Ps. 418, serm. 8, v. 69. — (d) Matth. 6, 41. — (e) 4 Cor. 12, 14 et d.

licet contemplari, (a) in qua, etsi diversa sint membra, nempe variae nationes, Iudaorum, gentium, liberi et servi, pauperes et divites; cum tamen baptismio initiantur, unum corpus cum Christo fiunt, cuius ille caput est.

Nota. Unicuique præterea in hac Ecclesia suum munus assignatum est, ut enim (b) alii in ea Apostoli, alii doctores, omnes vero publicæ utilitatis causa sunt constituti, ita aliorum est præesse ac docere: aliorum item parere, subjectos esse.

*Qui in peccato mortali sunt quo communionis
Sanctorum fructu priventur.*

XXVII. At vero tot, tanisque muneribus, ac bonis divinitus collatis illi fruntrur, qui in charitate vitam christianam degunt, justique et charitudo sunt.

Membra vero mortua, nimirum homines scelebris obstricti et a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut hujus corporis membra esse desinat: sed cum sint mortua fructum spirituale, qui ad justos et pios homines pervenit, non percipiunt. Tametsi, cum in Ecclesia sint, ad amissam gratiam vitamque recuperandam ab iis adjuvantur, qui spiritu vivunt et eos fructus capiunt, quorum expertes esse dubitari non potest, qui omnino ab Ecclesia sunt præcisi.

Gratiæ gratis datæ sunt dona communia.

XXVIII. Nec vero tantum communia sunt ea dona, quæ homines charos Deo ac justos reddunt; sed gratiæ etiam gratis datæ in quibus numerantur (c) scientia, prophetia, donum linguarum ac miraculorum, et cetera hujus generis, quæ

(a) Aug. in Ps. 70, serm. 2. — (b) 1 Cor. 12, 28. — (c) 1 Cor. 14, 6.

dona malis etiam hominibus, non privatæ, sed publicæ utilitatis causa ad ædificandam Ecclesiam conceduntur: nam sanitatis gratia, non illius, qui ea preditus est, sed ægroti curandi causa tributa est. Ac nihil tandem a vero christiano homine possidetur, quod sibi cum ceteris omnibus commune esse non existimare debeat; quare ad sublevandam indigentium miseriam prompti ac parati esse debent: nam (a) qui hujusmodi bonis ornatus est, si viderit fratrem suum egere, nee illi subvenierit, is Dei caritatem non habere plane convincitur. Quæcum ita se habeant satis constat, eos, qui in hac sancta communione sunt, quadam felicitate perfrrui et vere illud dicere posse: (b) Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini; et (c): Beati qui habitant in domo tua, Domine!

ARTICULUS X.

Fides articuli necessaria ad salutem.

I. *Remissionem peccatorum.* Nemo est qui, cum videat hunc articulum de remissione peccatorum, in ceteris fidei articulis numeratum esse, dubitare possit, eo non solum divinum aliquod mysterium, sed etiam ad salutem comparandam maxime necessarium contineri: nam ante declaratum est, sine certa eorum fide, quæ in Symbolo credenda proponuntur, nemini ad christianam pietatem adiutum patere. Verum si id, quod per se omnibus notum esse debet, aliquo etiam testimonio confirmandum videatur, satis illud erit quod Salvator noster paulo ante ascensum in cœlum de ea re testatus est, cum discipulis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas: (a) Oportebat, inquit,

(a) 1 Joan. 5, 17. — (b) Psal. 85, 9. — (c) Ps. 85, 5.

Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine hujus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierosolyma.

Munus parochi in hoc articulo explicando.

II. Quæ verba si parochi animadverterint, facile intelligent, cum cetera, quæ ad religionem pertinent, fidelibus tradadint sint, tum vero præcipue hujus articuli diligenter explicandi magnam eis a Domino necessitatem impositam esse. Munus igitur parochi erit, quod ad hunc locum attinet, docere, non solum peccatorum remissionem in catholica Ecclesia reperiri, de qua Isaías predixerat (b) : Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniqtitas (c) : sed etiam potestatem peccata remittenti in ea esse.

Notent confessarii.

Quia si rite et secundum leges a Christo Domino prescriptas sacerdotes utantur, vere peccata remitti et condonari credendum est.

Culpæ et pœnæ remissio sit in baptismo.

III. Hæc autem venia, cum primum fidem profidentes sacro baptismo abluimur, adeo cumulate nobis datur, ut nihil aut culpæ delendum, sive ea origine contracta, sive quid propria voluntate omissum vel commissum sit, aut pœna persolvendum relinquatur. Verum per baptismi gratiam nemo tamen ab omni naturæ infirmitate liberatur, (d) quin potius, cum unicuique adversus concupiscentia motus, que nos ad peccata incitare non desinit, pugnandum sit, vix ullum reperias,

(a) Luc. 24, 46. — (b) Isa. 55, 24. — (c) Aug. Homil. 49, c. 8. — (d) Concil. Trid., sess. 5, can. 5. Aug. 1, 2, de Peccat. merit., c. 28.

qui vel tam acriter resistat, vel tam vigilanter salutem suam tueatur, ut omnes plagas vitare possit.

Claves regni colorum Ecclesiæ traditæ.

IV. Cum igitur necesse fuerit in Ecclesia potestatem esse peccata remittendi, alia etiam ratione, quam baptismi sacramento, claves regni colorum illi concredite sunt, quibus possint unicuique pœnitenti, etiamsi usque ad extremum viæ diem peccasset, delicta condonari. Clarissima hujus rei testimonio in sacris Litteris habemus; nam apud sanctum Matthæum Dominus ita ad Petrum loquitur: (a) Tibi dabo claves regni colorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in celis. Item: (b) Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in celo; et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in celo. Deinde sanctus Joannes testatur Dominum, cum insufflasset Apostolis, dixisse (c): Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.

Nullum peccatum quin possit in Ecclesia remitti.

V. Neque vero existimandum est hanc potestatem certis quibusdam peccatorum generibus definitam esse: nullum enim tam nefarium facinus, vel admitti, vel cogitari potest, cuius remittendi potestatem sancta Ecclesia non habeat: (d) quemadmodum etiam nemo adeo improbus et sceleratus fuerit, quem si erratorum suorum vere pœnitentia, certe ei venia spes proposita esse non debeat.

(a) Matth. 16, 19. — (b) Matth. 18, 18. — (c) Joan. 20, 23. — (d) Ambros., lib. 1 de Pœnit., c. 1 et 2. Aug. in Ench., c. 93.

Sed neque hæc eadem potestas ita circumscribitur, ut præfinito solum aliquo tempore ea uti licet; nam quacumque hora peccator ad sanitatem redire voluerit, rejiciendum non esse docuit Salvator noster, cum (a) principi Apostolorum interroganti quoties peccatoribus ignoscendum esset, an septies, repondit: Non septies, sed usque septuagies septies.

Hæc potestas est penes episcopos et sacerdotes.

VI. Verum si ministros divinæ hujus potestatis spectemus, ea minus late patere videbitur. Dominus enim non omnibus, sed episcopis tantum et sacerdotibus tam sancti munera potestatem dedit. (b) Idem etiam censendum erit quod ad rationem ejus potestatis exercenda pertinet: nam per sacramenta solum, si eorum forma servetur, peccata remitti possunt, aliter vero nullum jus a peccatis solvendi Ecclesiæ datum est, ex quo sequitur, tum sacerdotes, tum sacramenta ad peccata condonanda veluti instrumenta valere; quibus Christus Dominus auctor ipse et largitor salutis, remissionem peccatorum et justitiam in nobis efficit.

Remissio peccatorum quanta sit gratia.

VII. Ut autem fideles celeste hoc munus, quod singulari in nos Dei misericordia Ecclesiæ donatum est, magis suspicant, atque ad ejus usum et tractationem, ardenter pietatis studio accedant, zonabitur parochus hujus gratiæ dignitatem et amplitudinem demonstrare, ea autem ex hoc possimum perspicitur, si cuius virtutis sit peccata remittere, et homines ex injustis justos reddere, diligenter expositum fuerit (c). Constat enim in-

(a) Matth. 18, 21, 22. — (b) Trid., sess. 14, cap. 6. Hieron. Epist. 1, post mod. Ambr. de Cain et Abel. c. 4. — (c) Trid. sess. 6, c. 7, et sess. 14, 1, 2. Aug. Tract. 75, in Joan.

finita et immensa Dei vi hoc affici, quam eamdem in excitandis mortuis, et in mundi creatione necessariam esse credimus. Quod si etiam, ut (a) Augustini sententia confirmatur, majus opus existimandum est aliquem ex impio pius facere, quam cœlum et terram ex nihilo creare, cum ipsa creatio non nisi ex infinita virtute possit existere, consequens est, ut multo magis peccatorum remissio infinitæ potestati tribuenda sit. Quare verissimas esse priscorum Patrum voces agnoscimus, quibus confitentur ab uno Deo peccata hominibus condonari, neque ad alium auctorem quam ad summam ejus bonitatem et potentiam, tam mirificum opus referendum esse. (b) Ego sum, inquit ipse Dominus per prophetam, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas. Nam scelerum remittendorum eadem ratio videtur esse, quam in pecunia debita servare oportet. Quemadmodum igitur a nemine, nisi a creditore, pecunia quæ debetur remitti potest: ita, communī Deo peccatis obstricti simus, siquidem quotidie oramus: (c) Imitate nobis debita nostra, perspicuum est a nemine, preter ilium, debita nobis condonari posse.

*Potestatem dimittendi peccata primus habuit
Christus.*

VIII. Hoc vero admirabile et divinum munus, antequam Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ impertitum est. Primus omnium Christus Salvator noster, ut homo, cum idem verus Deus esset, hoc munus a celesti Patre traditum accepit: (d) Ut sciatis, inquit, quia Filius hominis habet po-

(a) Aug. lib. 1, de Pecc. merit. c. 25, l. 50. Hom. 13. Ambr. de Abel. cap. 4. — (b) Isa. 43, 25. — (c) Matth. 6, 12. — (d) Matth. 9, 6. Marc. 2, 9, 10.

testamen in terra dimittendi peccata, ait paralyticus : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. Cum igitur homo factus esset, ut hominibus hanc peccatorum veniam largiretur, priusquam in celum ascenderet, ut ibi ad dexteram dei in perpetuum sederet, eam potestatem episcopis et presbyteris in Ecclesia concessit, quanquam, ut ante docimus, Christus sua auctoritate, ceteri, ut ejus ministri, peccata dimittunt.

Potestas remittendi peccata maximum donorum Christi.

IX. Quamobrem si, quae infinita virtute effecta sunt, maxime admirari et suspicere debemus, satis intelligimus pretiosissimum hoc munus esse quod Christi Domini benignate Ecclesiae donatum est, sed ipsa etiam ratio, qua Deus, clemensissimus Pater, mundi peccata delere constituit, animos fidelium ad hujus beneficij magnitudinem contemplandam vehementer excitabit, sanguine enim unigeniti Filii sui scelera nostra expiari voluit, ut ponam, quam nos pro peccatis commeruimus, ultra ille persolveret, (*a*) justusque pro injustis damnaretur, innocens proruis morte acerbissima afficeretur. Quare cum animo cogitabimus (*b*) nos non corruptibilibus auro et argento redemptos esse, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati, facile statuimus, nihil nobis salubrius contingere potuisse hac remittendi peccata potestate, quae inexplicabilem Dei providentiam summamque erga nos charitatem ostendit.

Peccatum mortale quantum malum.

X. Ex hac autem cogitatione maximus fructus ad omnes perveniat necesse est, nam qui Deum

(*a*) 1 Pet. 5, 18. — (*b*) 1 Pet. 1, 18, 19.

mortalii aliquo peccato offendit, quidquid meritorum ex Christi morte et cruce consecutus est, statim amittit, et omnino paradisi aditu, quem prius interclusum Salvator noster passione sua omnibus patefecit, prohibetur. Quod quidem cum in mentem venit, facere non possumus quin humanae misericordie consideratio vehementer sollicitos nos habeat. Verum si animum ad hanc admirabilem potestatem referamus, quae Ecclesie divinitus tributa est, et hujus articuli fide confirmati, oblatam unicuique facultatem credamus, ut possit divina ope adjutus in pristinum dignitatis statum restituiri : tunc vero cogimur summo gaudio et laetitia exultare, et immortales Deo gratias agere. Ac profecto, si grata et jucunda medicamenta videri solent quae medicorum arte et industria, cum gravi aliquo morbo laboramus, parantur, quanto jucundiora esse debent ea remedia quae Dei sapientia ad animorum curationem atque adeo ad vitam reparandam instituit; cum praesertim non quidem dubiam salutis spem, ut medicinae illae, quae corporibus adhibentur, sed certissimum iis qui sanari cupiunt, salutem afferant.

Beneficio remissionis peccatorum diligenter utendum.

XI. Erunt igitur sivecles hortandi, postquam tam ampli et praelari muneri dignitatem cognoverint, ut illud etiam studeant ad suum commodum religiose convertere. Vix enim fieri potest ut qui re utili et necessaria non utatur, eam contemnere non existimetur, praesertim vero cum Dominus hanc potestatem remittendi peccata ea re tradiderit Ecclesie, ut omnes hoc salutari remedio uterentur. Nam quemadmodum nemo sine baptismō expiari potest, ita quicunque baptismi gratiam, mortiferis sceleribus amissam recuperare

voluerit, ad aliud expiationis genus, mimirum penitentiae sacramentum, configiat necesse est.

Facilitatis venia obtinendæ non abutendum.

XII. Verum hoc loco admonendi sunt fideles ne tam ampla veniam facultate proposita, quam etiam nullius temporis termino definiti declaravimus, vel ad peccatum faciliore, vel ad resipiscendum tardiores reddantur: in altero enim cum injuriosi: (a) Et contumeliosi in hanc divinam potestatem manifeste reprehendantur, indigni sunt, quibus Deus misericordiam suam impertiat; in altero vero magnopere verendum est ne, morte preoccupati, frustra peccatorum remissionem confessi fuerint, quam tarditate et procrastinatione merito amiserunt.

ARTICULUS XI.

Fides hujus articuli quam necessaria.

I. *Carnis resurrectionem.* Magnam hujus articulim esse ad fidei nostræ veritatem stabilendam id maxime ostendit, quod divinis Litteris non solum credendum fidelibus proponitur, sed multis etiam rationibus confirmatur. Quod quidem cum in aliis Symboli articulis vix fieri videamus, intelligi potest, hoc veluti firmissimo fundamento salutis nostræ spem nixam esse, nam ut Apostolus ratioinatur: (b) Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit; quod si Christus non resurrexit, inanis est predicatione nostra, inanis est et fides vestra. In eo igitur explicando parochus non minus operæ et studii ponet quam in eo evertendo multorum impietas laboravit,

(a) Aug. in Joan. Tract. 55 et lib. 50, Homil. 41. Ambros. lib. 2, de Fœnit. c. 1, 2 et 41. — (b) 1 Cor. 15, 15, 4.

magnas enim et præclaras utilitates ex ea cognitione ad fidelium fructum redundare paulo post demonstrabitur.

Cur hominum resurrectio carnis resurrectio appelletur.

II. Sed hoc imprimis attendere oportebit, resurrectionem hominum in hoc articulo carnis resurrectionem appellari, quod quidem sine causa factum non est, nam docere volerunt Apostoli id, quod necessario ponendum est, animam esse immortalem; quare ne quis forte eam simul cum corpore interisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret, cum animam plurimis sacrarum Litterarum (a) locis immortalem esse plene constet, ob eam rem carnis tantum suscitandæ mentione in articulo facta est, et quanquam sæpe etiam in sacris Scripturis caro integrum hominem, ut est apud Isaiam: (b) Omnis caro fœnum: et apud sanctum Joannem: (c) Et Verbum caro factum est, significet: hoc tamen loco carnis vox corpus declarat, ut duarum partium, animæ et corporis, quibus homo constat, alteram tantum, nempe corpus corrupti, et in pulverem terræ, ex qua compactum est redire, animam vero incorruptam manere intelligamus.

Anima non dicenda est resurgere.

III. At vero cum nemo, nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima proprio non dicitur resurgere, carnis quoque mentio facta est illius heresis confutandæ causa, quæ vivo Apostolo (d), Hymenæi et Phileti fuit, qui asserebant, cum de resurrectione in Scripturis sacris ageretur, non de

(a) Sap. 2, 25 et 3, 4 Matth. 10, 21 et 22, 51. — (b) Isa. 40, 6. — (c) Joan. 1, 4. — (d) 1 Tim. 2, 17.

corporea, sed de spirituali, qua a morte peccati ad vitam innocentem resurgitur, accipendum esse. Itaque his verbis planum sit, eum errorem tolli et veram corporis resurrectionem confirmari.

Carnis resurrectio ut probanda.

IV. Verum parochi partes erunt hanc veritatem illustrare exemplis ex Veteri Novoque Testamento, et ex omni ecclesiastica historia de promptis, alii enim ab (a) Elia, et (b) Eliseo in Veteri Testamento; alii prater eos quos (c) Christus Dominus a morte excitavit, a (d) sanctis Apostolis, aliasque permultis ad vitam revocati sunt, que resurrectio multorum hujus articuli doctrinam confirmat, ut enim plures a morte excitatos credimus, ita universos ad vitam revocatum iri credendum est, qui etiam praecipuis fructus, quem nos ex hujusmodi miraculis capere debemus, ille est, ut summam fidem huic articulo tribuamus. Sunt multa testimonia, quæ parochis qui in sacris litteris mediocriter versati sunt, facile occurrent. Illustriora vero loca sunt in Veteri quidem Testamento, quæ leguntur apud Job, cum ait (e), se in carne sua susceptetur Deum suum; et apud Danielem, de iis (f) qui in pulvere terræ dormiunt, alios in vitam aeternam, alios in opprobrium sempiternum evigilatores: in Novo autem Testamento, quæ sanctus Matthæus refert de disputacione (g) quam Dominus cum Sadducæis habuit, præter ea, quæ Evangelistæ (h) narrant de extremo judicio. Atque huc etiam referenda sunt, quæ Apostolus ad Corin-

(a) 3 Reg. 17, 19. — (b) 4 Reg. 4, 31 et 13, 21. —
(c) Math. 9, 25. Luc. 7, 14, 11. Joan. 11, 45, 44. — (d) Ad Cor. 9, 40 et 20, 10. — (e) Job, 19, 26. — (f) Dan. 12, 2. —
(g) Math. 22, 29. — (h) Joan. 5, 25, 28, 29.

thios (a), et ad Thessalonenses (b) scribens accurata oratione disseruit.

Similitudines quibus resurrectio illustratur.

V. Sed quamvis hoc fide certissimum sit, multum tamen proderit, vel exemplis vel rationibus ostendere, id quod fides credendum proponit, a natura, aut ab humanae mentis intelligentia non abhorrete. Itaque Apostolus quærenti quomodo resurerent mortui, sic respondit: (c) Insipliens tu! quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur; et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas; sed nudum granum, ut puta tritici, aut aliquuj cæterorum, Deus autem dat illi corpus sicut vult; et paulo post inquit: Seminatur in corruptione, surget in corruptione. Ad eam similitudinem multas præterea adjungi posse sanctus (d) Gregorius ostendit: Lux enim, inquit, quotidie quasi moriendo oculis subrahitur, et rursus quasi resurgendo revocatur, et arbusta viriditatem amittunt, et rursus quasi resurgendo reparantur, et semina putrescendo moriuntur, et rursum germinando resurgent.

Rationibus probatur resurrectio.

VI. Rationes illæ præterea, quæ ab ecclesiasticis scriptoribus afferuntur, satis ad eam rem probandum accommodatae videri possunt.

Prima. — Ac primum quidem, cum animæ immortales sint, et tanquam pars hominis ad humana corpora naturale propensionem habeant, eas a corporibus sejunctas perpetuo manere, præter naturam existimandum est.

Secunda. — Quoniam vero quod naturæ adversatur ac violentum est, diuturnum esse non potest,

(a) 1 Corinth. 15. — (b) 1 Thessal. 4, 13. — (c) 1 Cor. 15, 56. — (d) S. Gregor. hb. 14. Moral. c. 28, 29, 30.

consentaneum fore videtur, ut denuo cum corporibus jungantur; ex quo etiam sequitur ut corporum resurrectio futura sit: quo quidem argumentandi genero Salvator ipse noster usus est, (a) cum adversus Sadduceos disputans, ex animarum immortalitate corporum resurrectionem conclusit

Tertia. — Deinde cum malis supplicia, bonis praemia a justissimo Deo sint proposita, (b) ex illis vero quam plurimi, antequam debitas penas persolvant, ex his magna ex parte nullis affecti virtutis premiis et vita decadant, necesse est iterum animas cum corporibus conjungi, ut pro sceleribus aut recte factis corpora, quibus veluti peccati sociis homines utuntur, una cum anima pena aut premio afficiantur. Qui locus diligentissime tractatus est sancto (c) Chrysostomo in Homilia ad populum Antiochenum. Quare Apostolus, cum de resurrectione dissereret: (d) Si in hac vita, inquit, tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quæ quidem verba nemo ad animæ miseriam referri existimabit: quæ cum immortalis sit, quamvis corpora non resurgerent, in futura tamen vita beatitudine frui posset: vero de toto homine intelligenda sunt. Nisi enim corpori debita pro laboribus premia reddantur, necesse est ut, qui quemadmodum Apostoli, tot aerumnas et calamitates in vita perpessi sunt, omnium sint miserimi. Idem vero multo apertius docet ad Thessalonicenses his verbis: (e) Gloriamur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, et fide in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas

(a) Matth. 22, 33. — (b) Damasc. lib. 4, de Fide orthod., cap. 28. Ambr. lib. de Fide resurr. — (c) S. Chrysostomus, Homil. 49 et 50. — (d) 1 Cor. 15, 19. — (e) 2 Thess. 1, 4 et d.

sustinetis in exemplum justi iudicij Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini; si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant, et vobis, qui tribulamini, requiem vobiscum in revelatione Domini Jesu de celo, cum Angelis virtutis ejus in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.

Quarta. — Adeo etiam non posse homines, quandiu anima a corpore sejuncta est, plenam felicitatem et bonis omnibus cumulatam adipisci. Ut enim quælibet pars, a toto separata, imperfecta est, ita etiam anima, quæ corpori non est adjuncta: ex quo sequitur, ut illi ad summam felicitatem nihil desit, corporum resurrectionem necessariam esse. His igitur, atque aliis hujusmodi rationibus parochus fideles in hoc articulo erudire poterit.

Varia resurgentium conditio.

VII. Explicare præterea diligenter oportebit ex Apostoli doctrina, quinam ad vitam suscitandi sint; nam ad Corinthios scribens: (a) Sicut in Adam, inquit, omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Omni itaque malorum bonorumque discrimine remoto, omnes a mortuis, quanquam non omnium par conditio futura est resurgent: (b) Qui bona fecerunt in resurrectionem vite, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij,

Omnes resurgentemus.

VIII. Cum autem omnes dicimus, tam eos intelligimus qui adventante iudicio mortui jam

(a) 1 Cor. 15, 22. — (b) Joan. 5, 29.

erunt, quam eos qui moriuntur. Huic enim sententiæ, que asserset omnes morituros esse, nemine excepto, Ecclesiam acquiescere, ipsamque sententiam magis veritati convenire, scriptum reliquit sanctus (a) Hieronymus; idem sentit et sanctus Augustinus. (b) Neque vero huic sententiæ repugnant Apostoli verba (c) ad Thessalonenses scripta: Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, nam sanctus Ambrosius, (d) cum ea explanaret, ita inquit: In ipso raptu mors præveniet, et quasi per soporem ut egressa anima in momento reddatur: cum enim tollentur, morientur, ut pervenientes ad Dominum, praesentia Domini recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possint. Eademque sententia comprobatur sancti (e) Augustini auctoritate in libro de Civitate Dei.

Proprium corpus cuiusque resurget.

IX. Cum vero multum referat nobis certo persuaderi hoc ipsum, atque adeo idem corpus, quod uniuscuiusque proprium fuit, quamvis corruptum sit, et in pulvere redierit, tamen ad vitam suscitandum esse, illud etiam parochus accurate explicandum suscipiet. Hac Apostoli est sententia, cum inquit: (f) Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: ea voce, Hoc, proprium corpus aperie demonstrans. Job etiam de eo clarissime vaticinatus est: (g) Et in carne mea, inquit, videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspicuntur sunt, et non alias. Hoc idem col-

(a) S. Hieron. Epist. 152. — (b) Aug., de Civit. Dei, lib. 20, c. 20. — (c) 1 Thess. 4, 15. — (d) In 1 Epist. ad Thess., c. 4. — (e) Lib. 20, c. 20. — (f) 1 Cor. 15, 53. — (g) Job. 19, 26.

ligitur ex ipsis resurrectionis definitione: est enim resurrectio, auctore (a) Damasceno, ad eum statum unde cederis revocatio. Denique si consideremus, cuius rei causa resurrectionem futuram paulo ante demonstratum est, nil erit, quod cujusquam animum hac in re dubium facere possit. Idcirco autem corpora excitanda esse docuimus, (b) ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Hominem igitur ex ipso corpore, cuius opera vel Deo, vel dæmoni, servivit, resurgere oportet, ut cum eodem corpore triumphi coronas et præmia consequatur, aut penas et supplicia miserrime perferat.

Quo in statu corpora resurgent.

X. Neque vero corpustantum resurget, sed quidquid ad illius naturæ veritatem, atque ad hominis decus et ornamentum pertinet, restituendum est. Praetiarum ea de re (c) sancti Augustini testimonium legimus: Nihil tunc vitti, inquit, in corporibus existet, si aliqui plus pinguedine obesi et crassi extinxerint, non totam corporis molem assumunt; sed quod illam habitudinem superabit, reputabit superfluum, et e diverso, quæcumque vel morbus, vel senium conficit in corpore, reparabit per Christum virtute divina, ut, si aliqui propter macrem fuerint gracie quia Christus non solum nobis corpus reparabit, sed quidquid per miseriam huius vitaे fuerit nobis ademptum. Item alio loco (d): Non resumet homo capillos quo habuerit, sed quos decuerit, juxta illud:

(a) Damasc. lib. 4 de Fide orthod. 28. — (b) 2 Cor. 5, 10. — (c) S. Aug. I. 22, de Civ. Dei, c. 19, 20, 21, et Ench. c. 86, 87, 98, 89. Hier. Epist. 59 et 61. — (d) S. Aug., Ench. cap. 89.

Omnis capilli capitis vestri numerati sunt, (a) qui secundum divinam sapientiam sunt, reparandi.

Nemo mancus post resurrectionem.

XI. In primis vero, quoniam membra ad veritatem humanæ nature pertinent, simul restituentur omnia : qui enim vel ab ipso ortu oculis capiti sunt, vel ob aliquem morbum lumina amiserunt, claudi, atque omnino manci et quibusvis membris debiles, integro ac perfecto corpore resurgent : aliter enim animæ desiderio, quæ ad corporis conjunctionem propensa est, minime satisfactum esset : cuius tamen cupiditatem in resurrectione explendam esse, sine dubitatione credimus. Præterea, satis constat resurrectionem æque ac creationem, inter præcipua Dei opera numerari. Quemadmodum igitur omnia a Deo initio creationis perfecta fuerunt, ita etiam in resurrectione futurum omnino affirmare oportet.

Cicatrices martyribus ad gloriam, nefariis ad miseriam post resurrectionem supererunt.

XII. Neque id de martyribus solum fatendum est, de quibus sanctus (b) Augustinus ita testatur : Non erunt absque illis membris; non enim posset illa mutilatio non esse corporis vitium, alioquin, qui capite truncati sunt, deberent sine capite resurgere; verumtamen exstabant in eorumdem membrorum articulis gladii cicatrices refulgentes super omne aurum et lapidem pretiosum, veluti et cicatrices vulnerum Christi; quod de improbris quoque verissime dicitur, etsi illorum culpa membra amputata fuerint; nam quo plura membra habebunt, tanto acerbiori dolorum cruciatu con-

(a) Matth. 10. 50. — (b) Lib. 22, de Civit. Dei. c. 20.

sificantur : quare illa membrorum restitutio non ad eorum felicitatem, sed calamitatem ac miseriam est redundatura; cum merita non ipsis membris, sed personæ, cujus corpori conjuncta sunt adscribantur : nam iis qui penitentiam egerint, ad præmium; illis vero qui eamdem contempserint ad supplicium restituentur. Hec vero si a parochis attente considerentur, nunquam eis rerum et sententiarum copia deerit ad excitandos inflammadosque pietatis studio fidelium animos, ut, vite hujus molestias et ærumnas cogitantes beatam illam resurrectionis gloriam, que justis et piis proposita est, avide exspectent.

Immortalia resurgent corpora.

XIII. Sequitur nunc ut fideles intelligent, si ea spectemus, quæ corporis substantiam constituant, quamvis illud ipsum atque idem corpus a mortuis revocari oportet, quod antea extinctum fuerat; longe aliam tamen et diversam ejus conditionem fore; ut enim cætera omittamus, in eo maxime resurgentium corpora omnia a se ipsis different, quod, cum antea mortis legibus subjecta essent, poste aquam ad vitam suscitata fuerint, sublato bonorum malorumque discrimine, immortalitatem assequentur.

Unde fuiū corpora immortalia.

XIV. Quam quidem admirabilem naturæ restitutionem insignis Christi victoria meruit, quam de morte reportavit, quemadmodum sacrarum Scripturarum testimonia nos admonent; scriptum est enim : (a) Præcipitabit mortem in sempiternum. Et alibi : (b) Ere mors tua, o mors! quod explicans Apostolus, inquit (c) Novissime ini-

(a) Isa. 23, 8. — (b) Osee, 13, 14. — (c) 1 Cor. 15, 26.

mica destruetur mors; et apud sanctum Joannem legimus: (a) Mors ultra non erit. Decebat autem maxime, Christi Domini merito (b) quo mortis imperium eversum est peccatum Adie longo intervallo superari: eidem etiam divinæ justitiae consentaneum fuit, ut boni beata vita perpetuo fruerentur; mali vero sempiternas penas luentes, (c) quererent mortem et non invenirent, optarent mori, et mors fugeret ab eis. Atque hac quidem immortalitas bonis malisque communis erit.

Quatuor gloriae corporum dotes.

XV. Habebunt præterea sanctorum rediviva corpora insignia quadam et præclara ornamenta, quibus multo nobiliora futura sint, quam unquam antea fuerint. Præcipua vero sunt quatuor illæ quæ dotes appellantur, ex Apostoli doctrina a Patribus observate. *De his August. serm. 99 de Temp. Ambr. in com. in 1 ad Cor. c. 45.*

Impassibilitas.

Earum prima est impassibilitas, munus scilicet et dœs, que efficiet, ne molesti aliquid pati, ullo dolore aut incommodo affici queant, nihil enim aut frigorum vis, aut flammæ ardor, aut aquarum impetus obesse eis poterit. (d) Seminatur, inquit Apostolus, in corruptione, surget in incorruptione. Quod autem impassibilitatem potius quam incorruptionem scholastici appellavit, ea causa fuit, ut, quod est proprium corporis gloriosi significarent: non enim impassibilitas illis communis est cum damnatis, quorum corpora, licet incorruptibilia sint, aestuare tamen possint, atque algere, variisque cruciatibus affici.

(a) Apoc. 2, 4. — (b) Hebr. 21, 14. — (c) Apoc. 9, 6.
— (d) 1 Cor. 15, 42.

Claritas.

Hanc consequitur claritas, qua sanctorum corpora tanquam sol fulgebunt, ita enim apud sanctum Matthæum testatur Salvator noster: (a) Justi, inquit, fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Ac ne quis de eo dubitaret, (b) sue transfigurationis exemplo declaravit. Hanc interdum Apostolus gloriam, modo claritatem appellat: (c) Resormabit, inquit, corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis sue. Etrursum: (d) Seminaritur in ignobilitate, surget in gloria. Hujs etiam gloriae imaginem quædam vidit populus Israel in deserto, (e) cum facies Moysis ex colloquio et presentia Dei ita colloceret, ut in eam filii Israel oculos intendere non possent. Est vero claritas hæc fulgor quidam ex summa animæ felicitate ad corpus redundans, ita ut sit quædam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruatur: quomodo etiam anima ipsa beata efficitur, quod in eam pars divinæ felicitatis derivetur. Hoc vero munere non æque omnes, perinde ac primo ornari credendum est. Erunt quidem sanctorum corpora omnia æque impassibilita, sed etiam splendorē non habebunt; nam, ut testatur Apostolus: (f) Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum.

Agilitas.

Cum hac dote conjuncta est illa, quam agilitatem vocant, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur: facilimeque in quamcumque

(a) Matth. 13, 43. — (b) Matth. 17, 2. — (c) Phil. 3, 21.
— (d) 1 Cor. 15, 45. — (e) Exod. 34, 29 et d. 2 Cor. 5, 7.
— (f) 1 Cor. 15, 41.

que partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius esse queat, quemadmodum aperte sanctus (a) Augustinus in libro de Civitate Dei, et (b) Hieronymus in Isaiam docuerunt. Quare ab Apostolo dictum est : Seminatur in infirmitate, surget in virtute.

Subtilitas.

His vero addita est, quæ vocatur subtilitas; ejus virtute corpus anima imperio omnino subjicietur, eique serviet et ad nutum præsto erit, quod ex illis Apostoli verbis ostenditur : (c) Seminatur, inquit, corpus animale, surget corpus spirituale. Hæc fere sunt præcipua capita quæ in hujus articuli explicatione tradenda erunt.

Quot et qui fructus ex hoc articulo capiantur.

XVI. Ut autem fidèles sciант quem fructum ex tot tantorumque mysteriorum cognitione capere possint.

Primus. — Primum declarare oportebit, maximas a nobis Deo gratias agendas esse, qui hæc sapientibus absconderit, et revelaverit parvulis. Quot enim viri vel prudentiae laude præstantes, vel singulari doctrina prædicti, in hac tam certa veritate ceci plane fuerunt? Quod igitur nobis illa patefecerit, quibus ad eam intelligentiam aspirare non licebat, est quod summam ejus benignitatem et clementiam perpetuis laudibus celebremus.

Secundus. — Deinde magnus etiam ille fructus ex hujus articuli meditatione consequetur, quod scilicet in eorum morte, qui nobis necessitudine vel benevolentia conjuncti sunt, facile tum alios

(a) Aug. de Civ. Dei, lib. 15, c. 18 et 20, et lib. 22 c. 11. — (b) Hieron. in Isaiam, c. 40. — (c) 1 Cor. 15, 44.

tum nos ipsos consolabimur : quo quidem genere consolationis Apostolum usum esse constat, cum ad Thessalonicenses (a) de dormientibus scriberet.

Tertius. — Sed in omnibus etiam aliis ærumnis et in calamitatibus, future resurrectionis cogitatio summam nobis doloris levationem afferat; quemadmodum sancti Job exemplo didicimus qui una hac spe afflictum et moerentem animum sustentabat, fore aliquando ut in resurrectione dominum (b) Deum suum conspiceret.

Quartus. — Præterea, hoc plurimum valebit ad persuadendum fidelibus populis, ut rectam vitam, integrum, ab omniq[ue] prorsus peccati labore puram agere quam diligentissime current; si enim cogitaverint ingentes illas divitias quæ resurrectionem consequuntur, ipsis propositas esse, facile ad virtutis et pietatis studia allicantur.

Quintus. — Contra vero nulla res maiorem vim habitura est ad comprimendas animi cupiditates, hominesque sceleribus avocandos, quam si sepius admoneantur, quibusnam malis et cruciatiibus improbi afficiendi sint, (c) qui extremo illo die procedent in resurrectionem judicii.

ARTICULUS XII.

Cur hic articulus in Symbolo sit ultimus.

I. *Vitam æternam.* Sancti Apostoli, duces nostri, Symbolum, quo fidei nostræ summa continetur, æternæ vitæ articulo claudi et terminari voluerunt : tum quia post carnis resurrectionem, nihil aliud fidelibus expectandum est, nisi æternæ vitæ præmium; tum vero, ut perfecta illa felicitas et bonis omnibus cumulata, nobis

(a) 1 Thess. 4, 13. — (b) Job. 19, 26. — (c) Joan. 5, 29.

semper ante oculos versaretur, doceremurque in ea mentem et cogitationes nostras omnes defigendas esse. Quare parochi in erudiendis fidelibus nunquam intermittent, præmiis æternae vite propositis, eorum animos accendere, ut, quæcumque vel difficultima christiani nominis causa subeunda esse docuerint, facilia atque adeo jucunda existimant, promptioresque ad parendum Deo et alacriores reddantur.

Quæ sit hujus articuli disciplina.

II. Sed quoniam sub his verbis, quæ ad beatitudinem nostram declarandam hoc loco usurpanatur, plurima mysteria in occulto latent, ea si aperienda sunt, ut quantum cujusque ingenium ferat, omnibus patere possint. Admonendi igitur sunt fideles his vocibus, *Vitam æternam*, non magis perpetuitatem vita, cui etiam dæmones scleratique homines addicti sunt, quam in perpetuitate beatitudinem, quæ beatorum desiderium expletat, significari. Atque ita intelligebat legisperitus ille, qui a Domino Salvatore nostro, (a) quid sibi faciendum esset, ut vitam æternam possidere, in Evangelio quesivit; perinde ac si diceret: Quænam mihi prestanta sunt ut ad eum locum ubi perfecta felicitate frui liceat perveniam? In hunc vero sensum sacre Litteræ hæc verba accipiunt, ut (b) multis in locis libet admixtare. (c) Hoc vero potissimum nomine summa illa beatitudo appellata est, ne quis existimaret eam in rebus corporeis et caducis, quæ æterna esse non possunt, consistere.

Cur beatitudine vita æterna appelletur.

III. Neque enim hæc ipsa beatitudinis vox satis

(a) Luc. 18, 18. — (b) Matth. 19, 29 et 25, 40. Rom. 6, 22. — (c) Aug. de Civ. Dei, lib. 1^o c. 11.

explicare poterat quod querebatur, præsertim cum non defuerint homines inanis cujusdam sapientiae opinione inflati, qui summum bonum in iis rebus ponenter, quæ percipiuntur sensibus: hæc enim pereunt et veterascunt: beatitudo vero nullo temporis termino definita est, quia potius terrena hæc longissime a vera felicitate absunt; a quo is quam maxime recedit, qui mundi amore et desiderio tenetur, scriptum est enim: (a) Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Et paulo post (b): Mundus transit, et concupiscentia ejus. Hæc igitur parochi fidelium mentibus imprimenda diligenter curabunt, ut mortalia contempnere, nullamque in hac vita in qua non cives, (c) sed advenae sumus, felicitatem obtineri posse in animum inducant. Quanquam hic etiam spe merito beati dicemur si, (d) abnegantes impietatem ac sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vixerimus in hoc seculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Hæc autem cum permulti, qui sibi ipsi (e) sapientes videbantur minus intelligerent, et in hac vita felicitatem quærerandam putarent, stulti facti sunt et in maximis calamitatibus incidentur.

Beatitudinem æternam esse oportere.

IV. Sed illud præterea ex vi hujus nominis vitam æternam percipimus, semel adeptam felicitatem amitti nunquam posse, ut falso nonnulli suspiciunt sunt: nam felicitas ex omnibus bonis sine ulla mali admixtione cumulatur, quæ cum hominis desiderium expletat, in æterna vita neces-

(a) 1 Joan. 2, 15. — (b) 1 Jo: n. 2, 17. — (c) 1 Pet. 2, 11. — (d) Tit. 2, 12, 13. — (e) Rom. 1, 22.

sario consistit : neque enim potest beatus non magnopere velle ut illis bonis quæ adeptus est, sibi perpetuo frui liceat. Quare, nisi ea possessio stabilis et certa sit, maximo cruciati timoris angatur necesse est. *Vide Aug. de Civ. Dei, lib. 12, c. 20; lib. 22, c. 29 et 30. De libero Arbit. c. 25. De Verb. Domini Serm. 64 et Serm. 37 de Sanctis.*

Eterna beatitudo verbis explicari nequit.

VI. Verum, quanta sit beatorum qui in coelesti patria vivunt, felicitas, eaque ab ipsis tantum præterea nemine comprehendiposuit, hæc ipse voces, cum vitam beatam dicimus, satis demonstrant; nam cum ad rem aliquam significandam eo nomine utimur, quod cum multis aliis commune est, facile intelligimus deesse propriam vocem, qua res illa plane exprimatur. Cum igitur felicitas iis vocibus declaretur, quæ non magis in beatos, quam in omnes qui perpetuo vivant, recte conveniunt hoc nobis argumento esse potest, altiorum et præstantiorum quandam rem esse quam ut proprio vocabulo perfecte significare ejus rationem possimus; nam, etsi plurima alia nomina coelesti huic beatitudini in sacris Litteris tribuuntur, cuiusmodi sunt, (a) regnum Dei, (b) Christi, (c) cororum, (d) paradisus, (e) sancta vivitas, nova Jerusalem, (f) domus Patris : tamen perspicuum est nullum ex iis ad ejus magnitudinem explicandam satis esse.

Hujus articuli vis ad suadendum pietatem.

VI. Quare parochi hoc loco oblatam sibi occasio nem non prætermittant, fideles tam amplis præmiis, quæ vite æterna nomine declarantur ad pietatem, justitiam et omnia christianaæ religionis

- (a) Act. 14, 22. — (b) 2 Petr. 1, 11. — (c) Matth. 5, 5, 20.
- (d) Luc. 25, 45. — (e) Apoc. 21, 10. — (f) Joan. 14, 2.

officia invitandi. Constat enim, vitam in maximis bonis, que natura expetuntur, numerari sole : atqui hoc potissimum bono, cum vitam æternam dicimus, beatitudo definitur. Quod si exigua hac et calamitosa vita, que tot et tam variis miseriis subjecta est, ut mors verius dicenda sit, nihil magis amat, nihil aut carius aut jucundius esse potest; quo tandem animi studio, qua contentione æternam vitam illam querere debemus, quæ defunctis omnibus malis perfectam et absolutam honorum omnium rationem conjunctam habet ? Nam, ut sancti Patres (a) tradiderunt, æternæ vita felicitas omnium malorum liberatione et honorum adiectione definienda est. De malis clarissima sunt sanctorum Litterarum testimonia : scriptum est enim in Apocalypsi: (b) Non esurient, neque sient amplius; neque cadet super illos sol neque ullus æstus; et rursus : (c) Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Jam vero beatorum immensa gloria, innumeraque solidæ latitudine et voluptatis genera futura sunt : cuius gloriæ magnitudinem cum animus noster capere, aut illa in animos nostros penetrare nullo modo possit, necesse est nos in illam, nempe in gaudium Domini introire, ut eo circumfusi mentis desiderium cumulate expleamus. Quamvis autem, ut sanctus Augustinus (d) scribit, facilius mala quibus carituri sumus, quam bona ac voluptates quas hausturi sumus numerari posse videantur,

(a) Chrysost. in 30 cap. ad Theod. lapsum. Aug. de Civ. Dei, lib. 22, c. 50. Anselm. Epist. 2 et de Similit., c. 47 et seqq. — (b) Apoc. 7, 16. — (c) Ibid. 21, 4. — (d) Serm. 6, 4, de Verb. Domini, et de Symb. ad Catech., lib. 5, c. ult.

danda tamen erit opera ut quae fideles summam illius felicitatis adipiscendæ cupiditate inflammare poterunt breviter et dilucide explicitentur.

Beatitudo duplex, essentialis et accidentalis.

VII. Sed illa imprimis distinctione uti oportebit, quam a gravissimis divinarum rerum scriptoribus accepimus, ii enim duo bonorum generæ esse statuant, quorum alterum ad beatitudinis naturam pertinet, alterum ipsam beatitudinem consequitur; quare illa essentialia, hæc vero accessoria bona, docendi causa, appellarentur. Ac solida quidem beatitudo, quam essentialiæ communis nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, eusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis ad perfectionis fons et principium. (a) Hæc est vita æterna, inquit Christus Dominus, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum: quam sententiam sanctus Joannes videtur interpretari, cum ait: (b) Carissimi! nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Significat enim beatitudinem ex iis duobus constare, tum quod Deum intuebimur, qualis in natura sua ac substantia est, tum quod veluti dii efficiemur.

Beati quales futuri in gloria.

VIII. Nam qui illo fruuntur, quamvis propriam substantiam retineant, admirabilem tamen quamdam et prope divinam formam induunt, ut dii potius quam homines videantur. Hoc autem cur ita fiat, ex eo perspicuum est quod unaquaque res vel ex ejus essentialia, vel ex ejus similitudine et specie cognoscitur.

(a) Joan. 17, 5. — (b) Joan. 5, 2.

Beati quomodo Deum videbunt.

IX. At quoniam nihil est Deo simile cujus similitudinem adjumento ad perfectam ejus notitiam pervenire possumus, consequens est ut ejus naturam et essentiam videre nemini liceat, nisi hæc eadem divina essentia se nobis conjunxerit; atque id Apostoli verba illa significant: (a) Videamus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nam quod inquit in ænigmate, interpretatur sanctus (b) Augustinus in similitudine ad Deum intelligentem accommodata. Quod etiam sanctus (c) Dionysius aperte ostendit cum affirmit nulla inferiorum similitudine superiora percipi posse, neque enim ex alicujus rei corpore similitudine, ejus que corpore careat essentia et substantia cognosci potest: cum præsentim necesse sit rerum similitudines minus concretiæ habere, et magis spirituales esse quam res ipsas, quarum imaginem referunt; quemadmodum in omnium rerum cognitione facile experimur. Quoniam vero fieri non potest ut alicujus rei create similitudo æque pura et spiritualis, ac Deus ipse est, reperiatur, ita fit ut ex nulla similitudine divinam essentiam perfecte intelligere possimus. Accedit etiam, quod omnes creatæ res certis perfectionis terminis circumscribuntur: at Deus infinitus est, neque illius rei creatæ similitudo ejus immensitatem capere potest. Quocirca una illa ratio divinæ substantiae cognoscendæ relinquitur, ut ea se nobis conjungat et incredibili quodam modo intelligentiam nostram altius extollat, atque ita idonei ad ejus naturæ speciem contemplandam reddamur. Id vero lumine gloriæ

(a) 1 Cor. 15, 12. — (b) Augustinus, lib. 15 de Civ. Dei, c. 9. — (c) Dionys. Areop. de Divin. nom., c. 4.

assequemur, cum eo splendore illustrati, (a) Deum lumen verum in ejus lumine videbimus.

Beatitudinis fons.

X. Nam beati Deum praesentem semper intuentur; quo quidem dono (b) omnium maximo et praestantissimo divinae essentiae participes effecti, vera et solida beatitudine potiuntur, quam nos ita credere debemus, ut eam etiam et Dei benignitate, cum certa spe nobis expectandam esse in Symbolo Patrum definitum sit : (c) inquit enim : Exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Divinae hæc plane sunt, neque ullis verbis explicari, aut cogitatione comprehendendi a nobis possunt.

Similitudo.

XI. Verum licet aliquam hujus beatitudinis imaginem; in iis etiam rebus quæ sensu percipiuntur, cernere. Nam (d) quemadmodum ferrum, admoto igni, ignem concipit, et quamvis ejus substantia non matetur, sit tamen ut diversum quidpiam nimirum ignis esse videatur; eodem modo qui in celestem illam gloriam admissi sunt, Dei amore inflammati, ita afficiuntur, cum tamen id quod sunt esse non desinant, ut multo magis distare ab iis qui in hac vita sunt, merito dici possint quam ferrum candens ab eo quod nullam caloris vim in se contineat.

Essentialis beatitudo in quo sita.

XII. Ut igitur rem paucis complectamur, summa illa et absoluta beatitudo, quam essentiali vocamus, in Dei possessione constitunda est : quid enim ei ad perfectam felicitatem deesse potest,

(a) Ps. 55, 10. — (b) 2 Pet. 1, 4. — (c) Symbolo Const.
— (d) Ex Anselm., lib. Simil., c. 16.

qui Deum optimum et perfectissimum possidet?

Beatitudinis accessoria.

XIII. Verum ad illam tamen quædam accedunt ornamenta omnibus beatis communia : quæ quoniam ab humana ratione minus remota sunt, vehementius quoque animos nostros commovere et excitare solent. (a) Iujus generis ea sunt de quibus Apostolus ad Romanos videtur intelligere. (b) Gloria et honor et pax omni operanti bonum; nam gloria tandem beati perfruentur non illa solum quidem quam essentiali beatitudinem, vel cum ejus natura maxime conjunctam esse ostendimus : sed ea etiam quæ constat ex clara et aperta notitia quæ singuli de alterius eximia et præstanti dignitate habituuntur sunt.

Primum. — At vero quantus ille honor existimandus est, qui eis a Domino tribuitur, cum non amplius (c) servi, sed amici, (d) fratres, (e) ac filii Dei vocentur? Quare ita electos suos amantisimis et honorificentissimis verbis Salvator noster compellabit : (f) Venite, benedicti Patris mei, poscidete paratum vobis regnum; ut merito niceat exclamare : (g) Nimiris honorificati sunt amici tui, Deus. Sed laudibus etiam a Christo Domino coram Patre cœlesti et angelis ejus celebrabuntur.

Secundum. — Præterea si hoc commune omnibus hominibus desiderium natura ingenuit honoris qui a veris sapientia præstantibus habeatur, quod eos locupletissimos virtutis sue testes fore existimant, quantum beatorum glorie accessurum putamus quod alius alium summo honore prosequetur?

(a) Aug. de Civ. Dei, lib. 22, c. 59. — (b) Rom. 2, 10.—
(c) Joan. 14, 15. — (d) Math. 12, 49. — (e) Rom. 8, 15,
16. — (f) Matth. 25, 34. — (g) Ps. 133, 17.

Tertium. — Infinita esset omnium oblectationum enumeratio quibus beatorum gloria cumulata erit, ac ne cogitatione quidem fingere eas possumus. Sed tamen hoc fidelibus persuasum esse debet, quæcumque nobis jucunda in hac vita contingere vel etiam optari queant, sive ea ad mentis cognitionem, sive ad corporis perfectum habitum pertineant, earum rerum omnium copiis beatam cœlestium vitam circumfluere, quamvis hoc altiore quadam modo quam (a) oculus vidit aut auris audivit, aut in cor hominis ascendit, fieri Apostolus affirmat.

Quartum. — Nam corpus quidem, quod antea crassum et concretum erat, cum in celo, detracta mortalitate, tenue et spirituale effectum fuerit, nullis amplius alimentis indigebit.

Quintum. — Anima autem æterno gloriae paulo, quod magni illius convivii auctor transiens omnibus ministrabit, (b) cum summa voluptate exsaturabitur.

Sextum. — Quis vero pretiosas vestes aut regales corporis ornatus desiderare poterit, ubi nullus harum rerum usus futurus sit : omnesque immortalitate et splendore amicti et sempiterne glorie corona ornati erunt.

Septimum. — Sed si ample etiam et magnificæ domus possessio ad humanam felicitatem pertinet, quid celo ipso quod Dei claritate undique collustratur vel amplius vel magnificientius cogitari potest? Quare propheta cum ejus domicilio pulchritudinem sibi ante oculos poneret, et ad beatas illas sedes pervenienti cupiditate arderet : (c) Quam dilecta, inquit, tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini; cor meum et caro mea exsultaverunt

(a) 1 Cor. 2, 9. — (b) Luc. 12, 37. — (c) Psal. 85, 1.

in Deum vivum. Atque ut hic sit omnium fidei-
lium animus, hæc communis vox omnium quem-
admodum parochi vehementer optare, ita etiam
omni studio curare debent; nam (a) in domo Patris
mei, inquit Dominus, mansiones multæ sunt, in
quibus majora et minorâ præmia, ut quisque
promeritus erit, reddentur. (b) Qui enim parce
seminat, parce et metet; et qui seminat in bene-
dictionibus, de benedictionibus et metet.

Ceria ratio acquirendæ beatitudinis.

XIV. Quare non solum ad eam beatitudinem fideles excitabant, verum etiam ejus consequendæ certam rationem hanc esse frequenter moncebunt, ut fide et charitate instructi, et in oratione et sacramentorum salutari usu perseverantes, ad omnia benignitatis officia in proximos se exercetant; ita enim Dei misericordia fiet qui beatam illam gloriam diligenter se preparavit, ut aliquando impleatur quod dictum est per prophetam. (c) : Sedebat populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiducie, et in requie opulenta.

(a) Joan. 14, 2. — (b) 2 Cor. 9, 6. — (c) Isai. 52, 18.

(d) 1 Cor. 16, 13. — (e) 1 Cor. 16, 13. — (f) 1 Cor. 16, 13.